



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

Angelis, Paolo de

Roma, 1621

Cap. I. De veteri, nouoque huius Basilicae situ, ac constitutione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13873

BASILICAE
S. MARIAE MAIORIS
DE VRBE
A LIBERIO PAPA
VSQVE AD
PAVLVM QVINTVM
PONTIFICEM MAXIMVM
DESCRIPTIO, AC DELINEATIO,
LIBER QVINTVS.

A V C T O R E
A B B A T E P A V L O
D E A N G E L I S.



DE VETERI, NOVOQVE HVIVS
Basilicæ situ, ac constitutione.

C A P V T P R I M V M.

DE Archipresbyteris, atque Vicarijs, & Canonicis negotio absoluto, nec nõ Beneficiatis vnà cum reliquis; succedit, vt præfca Basilicæ formam, simul cum Sacellis ostendamus, quò in delineationeprehendantur. Postea vetera cœnobìa, & Ecclesias describemus vnà cū pijs locis, qui circa hanc Basilicam extiterūt. Hinc ad præsentem illius statum properabimus, formam explanantes, ad quam Paulus Quintus Pontifex maximus redegit. & quidem primo externa quatuor partium attingemus. tum interna ingressi, ante omnia de maiori nauagemus; postea de duabus minoribus, simul Sacella ostendendo, quæ ibi reperiuntur, vnà

A cum Auctoribus; quod etiam de antiquis fiet suis sub numeris, quò in delineationibus reperiantur; nec non etiam Pontificum Romanorum, atque Cardinalium sepulchra. Hic non agetur de ijs, qui fabricis hanc Ecclesiam auxerunt, sed ad eum locum reijcimus, in quo præsentis statum explanabimus.

Ergo, vt initium faciamus: Hæc Basilica Orientem versus respicit: in cuius anteriori parte celeberrimum niuis miraculum, quod Liberio Papa sedente contigit, veteris operis elegantia, multiplici colorum varietate, auroque resplendet. ad illam per amplam porticum ingredimur, in qua ad leuam turris sese campanarum attollit, quæ Basilicæ adiuncta, Canonicis olim, alijsque Presbyteris hospitium præbebat. Ad dextrum latus pariter ades ad idem cernuntur. Sed olim

Anterior Templi facies.

Turris campanarum.

E 3 amplio-

Præter tres portas, quæ hodie cernuntur, quarum etiam olim fuit, cui nomen Regina.

Suggestus ad Epistolam Evangeliumque decantandum.

De septem Epistolis. Vrb.

ampliores fuerunt, sicut etiam circa Basilicam. Aditus per tres portas datur, quæ omnes maiori naui respondent. quanquam est aduertendum in medio Basilicæ, olim Portam fuisse nomine, Reginam, nimirum quia per multos annos super ipsam gloriosa Virginis imago à Sancto Luca depicta stetit, eodem in loco, quo hodie Sancti Leonis Patris aram intuemur. Hæc Basilica in tres naues diuisa, quadraginta magnis columnis ex vario marmore constantibus exornatur: quarum venustatem, ac splendorem auget pauimentum his temporibus elegantissime stratum. In naui maioris medio duo suggestus extiterunt; in quorum altero Epistolam decantabant, in altero Euangelium, quos & ipsi vidimus; nec ab ijs discrepabant, qui hodie in Sancto Laurentio extra muros cernuntur; perpolitè constructi ex marmoribus, & porphyreticis lapidibus, quos Sixtus Quintus auferri iussit. Addit Honuphrius fuisse ab Alexandro Tertio conditos. *Pulpita in medio Ecclesie lapidea varijs marmoribus porphyreticis viridibus lacedæmonijs ornata pro Epistola, & Euangelio decantandis, Alexander Tertius Senensis fabricauit.* Ex his ad Presbyterium ibant, olim ante aram maiorem positum, & maioris naui latitudinem occupabat, atque intus duo ciboria includebat, quæ postea fuerunt extracta; & vsque ad hæc tempora chori situs apparere, qui gradu vno supra pauimentum se effert. In maioris naui capite Basilicæ Crux eminebat, per quam ad maius Altare ex vtraque minori naui ibat, Tribunam vndique diuisam relinquentes; in cuius prima parte Archipresbyteri sedes, vel Cardinalis celebrantis perlatabat: & ex ea parte, in qua nostra tempestate duo ostia cernuntur, quæ Urbem respiciunt, olim duo Altaria aderant. atque hæc satis sit de veteri constitutione delibasse. Illud tamen est addendum ante Callisti Tertij, & Alexandri Sexti Pontificatus, nunquam tectum habuisse tabulis, atque auro exornatum;

nec in minoribus nauibus con-
camerations apparuerunt
ante Cardinalem Rothomagen-
sem.



DE HVIVS BASILICAE
ANTIQUIS SACELLIS,
Oratorijs, Aediculis, atque
Altaribus.

Caput I I.



IBERIVS PAPA occasione consecrationis Ecclesie, à fundamentis Præsepj Sacellum extruxit; sicut in antiquo libro manuscripto legimus, cuius titulus est; Liber passionum Sanctorum Martyrum: in eo scænum, & Præsepj partem reponens, in qua Christus infans collocatus fuit. ex quo intelligitur, Præsepis Sacellum eodem tempore fabricatum esse, quo ædificata, & consecrata Ecclesia fuit Ioannis Patritij, & vxoris expensis, quod ad confirmationem sic demonstrant: *Quam Basilicam præfatam idem Pontifex in honorem Dei, & Beatissimæ Mariæ Virginis consecrauit; in qua quidem Præsepium, cunabula, scænum, & pannos nostri Redemptoris in eiusdem Præsepis Altari miro ordine reuerenter cum multis alijs Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum reliquijs, quorum nomina superuacaneum est nominare, collocauit.*

Postea circa annum Domini 498. Symmachus Oratorium ædificauit ad Martyrum Cosmi, & Damiani honorem, sicut Anastasius testatur: *Idem ad Sanctam Mariam Oratorium Sanctorum Cosmi, & Damiani à fundamento construxit.* Hic est obseruandum temporum iniuria, aliud monumentum, ad nos Sacellorum, Altarium, &c. non peruenisse vsque ad annum 1321. in quo Iacobus Cardinalis Columna floruit, qui non planè contentus, dum viueret, hanc Ecclesiam amplificare, etiam post mortem auxit, velut ex testamento deprehenditur, in quo illam omnium profusus, quæ sui iuris erant, heredem instituit: quod ex manuscriptis in Archiuo patet: *Prædia quoque suburbana bona obtulit, ac vineas, aliaque bona in Urbe, & Castrum Pyri in Romandiola.* Ex quibus etiam cognoscitur varia Sacella à fundamentis erexisse: *Iacobus, & Petrus de Columnis Cardinales primam Ecclesie extructionem experientes, multaque Sacella, ac alia ornamenta pie extruxerunt. Tantum onus imposuit, ut Capitulum, & Canonici perpetuò sex Sacerdotes*

Præsepis Sacellum extruxit.

Symmachus Oratorium ædificauit.

In vita Symmachij pag. 4.

Iacobus Cardinalis Columna etiam post mortem, auxit hanc Ecclesiam.

Archiuo Card. Columnæ dicitur Sacellorum constructorum esse. In Actibus huius Basilicæ. De vita Episcopi Cosmi. De vita Episcopi Damiani. De vita Episcopi Petri de Columnis. De vita Episcopi Iacobi de Columnis.